

Philosophiâ morali; præsertim cum objecta interna præ mediis & externis longè majoris sint efficacitatis. Affectus verrò Ratio Nostra facilè cum Peripateticis in appetitu sensitivo agnoscit; sed & ei soli communiter relinquit, adeoq̃ non in statu humanitatis sed animalitatis tantùm ponit. Blanditur nimirùm Ratio sibi, putatq̃, has à se alienas esse perturbationes. Verum enim verò si ad statum Christianismi respiciamus, videbimus in eo ipsis Angelis (non ἀνθρώπου παθῶς, sicuti DEO, sed ἀληθῶς, verè proprièque) affectus à DEO tribui; Quid igitur in nobis appetitui rationali eisdem adscribere vereamur? Imò non tantùm τὸ ὄν, quòd sint in voluntate, sed & τὸ τί ἦν εἶναι, sive quid sint, hâc Christianæ Philosophiæ methodo certissimè clarissimèque cognosci potest. Nimirum cum Angeli sint immateriales, affectus eorum non possunt esse crassus, qui per se concomitantem habent aliquam corporis alterationem; E. & tales, propter eandem rationem, erunt voluntatis nostræ affectus; subtiles nempe, nullamq̃ corporis commotionem per se in motu suo spirituali req̃virentes.

#### TH. VIII.

Fœcunda verò hæc est in Christianâ Philosophiâ notitia, mox aliam pariens similem, de subjecto virtutum moralium, illud nimirum non solum appetitum sensitivum, sed & rationalem insimul esse. Ratio quidem sibi relicta inclinatur in contrariam sententiam, adeò ut ipsum Aristotelem in hanc partem propensiolem videri, abnuere haud renuat *Adcuratissimus* ejus *Interpres* *Thomasius Noster Philosoph. moralis Tab. VII.* Idem tamen cum Christianus non minus, quàm Peripateticus sit Philosophus, mox subjungit: *Sed quicquid hic sit de Aristotele, doctrina contraria accommodatior est Theologie orthodoxæ.* Sic enim in gratiam non minus, quàm ad nutum hujus argumentamur: In quocunq̃ Appetitu sunt affectus, per lapsum quidem Protoplastorum corrupti, sed apti ad recipiendam mediocritatem moralem, in eum debent & possunt virtutes morales introduci. Atqui in appetitu nostro rationali &c. E.

#### TH. IX.

Hoc autem cum non semper faciamus, potiùs affectus naturâ suâ indifferentes excedendo aut deficiendo sapissimè corrumpamus, non potest non nasci in nobis vitium; cujus natura rectissimè cognoscitur, si non tantùm Rationem nostram in statu humanita-  
tis,